3.

DE. THOLO

S. PETRI. IN. VATICANO

Quem

A ſuperioribus Pontificibus Maximis inchoatum
SIXTVS V. maturari iubet.

FRANCISCI BENCII
et Adoleſcentium aliquot e COLLEGIO ROMANO
SOCIETATIS IESV.

Carmina.



R O M AE,
Apud Dominicum Baſam. M. D. LXXXVIII.

AD. SIXTVM. V.

PONTIF. MAX.

COLLEGIVM. ROMANVM.

PAVCA. PATER. FATEOR. SVNT. ET. MEDIOCRIA: SED. QVAE

CARMINA. RES. TANTAS. AEQVIPARARE. QVEANT?

FRANCISCI BENCII AD VRBEM ROMAM CARMEN.

ROMA VIRVM, rerumq. potens, quae culmina Caelo
Fers propior, propiorq. Erebo veſtigia figis,
Et manibus totum geminis cōplecteris orbem.
Aeterno impoſita in ſaxo, quod vincere numquam
Vis queat Inferna, aut propria de ſede mouere:
Ipſa licet certent tot monſtra immania ſummis
Expugnare odijs, certentq. euertere ab imo.
Vrbs vna ante alias fortunatiſſima, & vna
Ante alias vrbes ſuperum gratiſſima regi:
Cui quondam placitum, bello & victricibus armis
Per populos vt iura dares, nunc denique pulſis

Vt tenebris larga perfundens omnia luce,
Clara ſerenatis praepandas lumina terris.
Vrbs ſacra, cui quamuis immenſi terminus aeui
Nullus erit, niſi cum mundum conſidere in ignes
Ipſe dabit genitor, corpusq. immane reſolui:
Damna tamen, rerumq. vices perpeſſa, periclis
E medijs erepta, graues ſarcire ruinas
Inſtiteras dudum, atque iterum ſpectanda referre
Quae ruerant monumenta Patrum, cultusq. nouare,
Quos hominum inuidia, aut labens aboleuerat aetas.
Iam vultu meliore nite, iam concipe priſcis
Non modo temporibus ſpeciem, ac virtutibus aptam,
Sed magis inſignem viſu, quam priſtina quando
Saecula vix norunt, mirentur poſtera ſaecla,
Et veteri praeſentem artem contendere certent.
Aſpice quod MONTE *ex* ALTO *tibi prodijt aſtrum,*
Aſtrum FELICIS *vitae index: nobilis aſtrum*
Virginis eſſe putes, mores quae laeta vetuſtos
Iam redijſſe, hominum dignetur viſere coetus:
Praeq. ferens ſpicum, & ramum frondentis oliuae
Illuſtres tibi deferri gratetur honores,

Qua

Qua ſe cumque tulit, gradiens qua lumina vertit.
Namque hic Caeſareos obeliſcos cedere vidit
CHRISTE tibi, ſacrãq. CRVCEM praetendere ſummo
Vertice, et antiquis ornatum accedere templis.
Hic rectas patuiſſe vias, certoq. petitum
Tramite, qui celſos longe ſinuatur in arcus,
Flumen aquae, celebrare vrbem montemq. Quirini,
Et qui Phaeacum nemori non inuidet hortus:
Hinc etiam atque illinc geminas extare columnas
Argumentum olim pugnae, iuſtiq. triumphi,
Quem manus extuderat caeſis animare figuris
Docta opus, & viuos de marmore ducere vultus:
Nunc veluti ſedem & fulcrum ſublime duorum,
Qui ſtudijs orbem paribus cepere regendum
Et PETRI ſimul & PAVLI. Stat praeſes vterque
Aureus, ac ſibi ſubiectas iam deſpicit arces,
Sub quibus inſonti fudit cum ſanguine vitam.
Has inter noua nunc tantum faſtigia tollit
VATICANVS apex, vbi rerum torquet habenas
Humani generis cuſtos, quantum ipſe ſacerdos
Mortales inter ſacrum caput extulit omnes.

Haec

Haec PETRVS *procul, & curas ſub corde prementem*
Regales SIXTVM *aſpectat, Regum ipſe potentum*
SIXTVS *opes laudesq., animis & ſumptibus aequat.*
Tum vero affari, mentemq. accendere dictis.
Sancte ſenex, quem tot lectis e patribus vnum
Iuſtitia & pietate grauem, rex aetheris alti
Ordine tam longo voluit ſuccedere nobis,
Sic meritum, CHRISTIQ. *vices implere gerendo:*
Dum niueas tutaris oues, dum laeta miniſtras
Pabula, nec partem auertunt furesue lupiue.
Viue diu, nec te anguſti timor anxius aeui
Grandibus abducat coeptis. Tibi plaudit Olympus
Auctus Caelitibus te iudice. Te ſtupet aequor
Inſtructam admirans Tiberina ad littora claſſem,
Altaq. iamdudum pacatis otia terris.
Nunc age, perge feris purgare immitibus orbem,
Inſtaurare Vrbis perge immortalis honorem,
Quod facis, aeternum vt maneat tua fama per aeuum.
Ipſe ego tecum adero, & tandem tibi debita reddet
Munera, cum functum mortalis munere vitae
CHRISTVS *in aetheriam victurum aſciuerit aulam.*

Audijt

Audijt haec S*IXTVS*, *caeliq. incenſus amore,*
Per benefacta viam ad ſuperos ſibi munit, & Vrbem
Regifico cultu, donisq. ingentibus auget.
Tum, veluti ſatis haud eßet, quod largus egenos
Hoſpitio victuq. iuuat, quod triſte ferentes
Seruitium redimit pretio, quod publica laxat
Horrea, & aduectis ſolatur frugibus annum,
Auertitq. famem, querulaeq. impendia plebi:
Exquilias etiam ſedes, penetralia M*ATRIS*
V*IRGINIS*, *& caſti praeſepia conſcia partus,*
Protinus adiecti decorat ſplendore ſacelli.
Nec procul hinc adeo, L*ATERANI limina templi,*
Sacra vbi Pontifices quondam feciße feruntur
Rite D*EO*, *& populis pia iura dediße vocatis,*
Non reficit tantum longo cedentia ſaeclo,
Ampliat, & ſolido partem de marmore ponit.
Sed quid ego indictum te V*ATICANE relinquam,*
Mons ſacer, vnde homines iam non oracula poſcunt
Deuia, & errorem dubio velantia ſenſu,
Sed ſummi reſponſa P*ATRIS*, *qui legibus orbem*
Temperat, & Caeli diſpenſat munera terris?

Huc feror, huc tota rapior per ſingula mente,
Nec potis expleri viſu. Iuuat vſque reuerti,
Atque animum, atque oculos, noua per ſpectacula paſci.
Quid primum memorem? Auguſtis ex aedibus olim,
Fetibus ingenij dulcem captantibus auram
Non minimum excluſum ſpatij, quo muta per artem
Vt valeant monumenta loqui, teneantq. docendo,
Impreſſis elementa notis noua littera ſignat?
An magis extructas felici munere ſedes,
Tecta Palatinis non concedentia priſcis,
Quae tibi conſulto ſcelerumq. & fraudis Apollo
Extulit Auguſtus, ſimilesq. effinxit in vſus?
Hic vbi magnorum veneranda volumina Patrum,
Et ſapientum artes, doctrinarumq. reperta,
Certa quibus ſenioq. fides, & neſcia falli
Maieſtas reſidet vultu, condentur. vt omni
Tempore depromi quaerentum ad commoda poſſint.
Quisquis vt externa conſultor venerit ora,
Et doctus meliorq. abeat, cauſasq. rogatus
Haec habeat dixiſſe ſatis, nec dicta retractet,
In VATICANO *ſic eſt effata Sibylla.*

Sed

Sed quis iam fremitus, quis iam fragor occupat aures
Non longe? clamorne virum, ſtridorne rotarum,
An confuſa ruunt ſimul omnia? ſaxa iacere
Hic video, hic ſtratos lateres, hic ruderum aceruos,
Caementa, hic bibulae mons eſt aggeſtus arenae:
Hanc contis ſubigunt iuuenes, gaudentq. praeuſtae
Miſcentes liquidas vndas committere calci.
Aſpice diſpoſitos lapides iam parte polita,
Artificumq. manus reliquo inſudare labori,
Quadrupedes in gyrum actos. Tolluntur in altum
Marmora difficili niſu: indignantia credas
Praecipitemq. adeo fruſtra minitantia caſum,
Sic ſtrepitant, nodoq. gemunt grauiore reuincta.
Non ego non poſsim viſus attollere tantum,
Quantum ſurgit opus: laſſantur lumina; & ipſa
Non dum acie ſuperare queunt faſtigia templi.
Scilicet hoc PETRO *extruitur mirabile templum,*
Magnum, excelſum, ingens, Caeli pars maxima curae:
Formam vnde aduectam terris oſtendit, (vt aiunt)
ANGELVS, *& tulit aetherias ſe rurſus ad oras.*
Nec mora, Pontificum mens huc traducitur, aedem

 Vt

Vt ſtatuant; ſed res alio conuertere magnum
Improuiſa animum cura grauiore coëgit.
*Nimirum haec perfecti operis tibi gloria, S*IXTE
Magne Pater, ſeruata tibi eſt. Tibi namque dedere
Caelicolae ad ſummos olim ſuccedere honores,
Vt quamquam metuēda aliȷs, quamquam ardua tentes,
Atque humana graui muſſet perſaepe labore
Ars, alias memor ipſa ſui: tamen irrita numquam
Coepta, nec in vanos abeant ludibria ventos:
Et pia magnanimis aſpirent ſidera votis.
*Te voluiſſe ſat eſt. Graue & immutabile S*IXTI
Pondus ineſt verbis, & vocem facta ſequuntur.
Hinc, reliqua vt taceam, fieri quae poſſe negabant,
Facta, nec obſiſtat narranti inconditus ordo
Plurima: tu certe Caeleſtis ianitor aulae
Conſpiceris maiore tholo: tibi conditur aedes
Sacra, tuis vicina aſtris, qua nulla per orbem
Pulchrior, & qua Sol oriens ſe emergit Eoo
Gurgite, & Heſperiȷs obiens qua mergitur vndis.
*Vix alibi te digna domus. tua gratia S*IXTE:
Cuius ad impenſas animus moleſq. ſuperbas

Auge-

Augetur magis atque magis. Tu commoda poſtquam
Pacis in Italiam gaudentem principe tanto
Tuta refers, reddisq. ſuos cultoribus agros,
Hanc etiam ingenti verſas ſub pectore curam,
Vt PETRO *quae coepta domus producitur annis*
Pluribus, ad ſeros ſe perductura nepotes,
Sic tarda ſe mole mouet (praecepta reſiſtant
Ni tua ſancte Pater) tandem molimine magno
Vndique conductis operis, manibusq. coactis,
Extremamq. manum accipiat, finemq. laboris.
Haud aliter, quia magna decet componere magnis,
Maximus Iſacidum rector, cui candida nomen
Pax dedit, & pariam meritis ſapientia laudem,
Tum demum Solymis templum ſublime locauit,
Vrbis opus, ſanctum, auguſtum, cum munera belli
Victoris patris imperio ſopita quierunt.
Res melior ſed SIXTE *tua eſt: Illa inclyta templi*
(Sic DEVS *effatus) Solymorum gloria ceſſit,*
Cumq. ſuis deſerta iacet cultoribus ara.
Ergo & in ardentes volitarunt tecta fauillas,
Diſiectiq. procul lapides, auulſaq. ſaxis

Saxa, nec antiqui manſerint ſigna decoris.
At iuſſis quae nixa tuis extollitur aedes
Sacra PETRO, *aeternum toto celebrabitur orbe,*
Et SIXTI *feret inſcriptum per ſaecula nomen.*
Tu modo, quod ſupereſt, ſanctis hortatibus vrge
Magnum opus, & ſumptus impendere perge labori,
Inceptumq. ingens laetis ſucceſsibus exple.
Bellum alij te auctore gerant. Hoſtemq. rebellem
Conſilijs, opibusq. pares, & foedere certo,
Ceu peſtem excutiant longe, ne morbida, gentes
Queis iterum iam parta ſalus, contagia laedant.
Forſan & optatum veniet te principe tempus
Cum Turcam audacem bello, pelagoq. potentem
Chriſtigenae vincent armis, tu capta iubebis
Ad VATICANUM *deduci colla triumpho,*
Suſpendiq. tholo ſublimi barbara ſigna
ROMA *quidem tunc te mirabere, tunc tibi dices*
Pulchrior, in melius veteres ceſſiſſe ruinas:
Cumque nouum decus aſpicies laetiſsima SIXTUM
Auctorem decoris ſemper venerabere, SIXTUM
Per fora, per fontes, per agros, per templa, ſonabis.

FINIS.

SEQVVNTVR NON NVLLA ALIORVM *EPIGRAMMATA.*

PRIMVM.

VATICANA Petri moles, nulliq. ſecunda
Impleràt fama Solis vtramque domum.
Si fas vera loqui, vaſtum ſine nomine corpus,
Fraudatusq. ſuo vertice truncus erat.
Non tulit hanc ſpeciem SIXTVS Pater, ilicet omnes
Cogit, quotquot habet maxima Roma, fabros.
Immenſumq. iubet cunctos properare laborem,
Surgit opus, feriunt culmina celſa polum.
Romulidas inter miratur plurimus hoſpes,
Vnaque vox hominum cuncta per ora ſonat.
Maximus es iam SIXTE Pater, faſtigia magnis
Pontificum coeptis impoſuiſſe potes.

I I.

VIDERAT aetheria deſpectans Petrus ab arce
Stare ſuam patulo culmine in vrbe domum:

Atque

Atque Deo, ſupplex, & maenia Romula monſtrans,
Cernis, ait, cernis limina noſtra Pater?
Procubuit vetus illa domus ſubnixa columnis,
Et noua nudato vertice tota patet.
Cornicum ſedes, & vento peruia, & imbri,
Squallet, & impluuio noſtra ſepulcra madent.
En cur Roma cliens, en cur celeberrima Petri
Limina, & Eous viſat & Heſperius.
Dixerat, & Caeli regnator lumine blando
Adſpiciens, inſit, iam Petre parce queri.
En SIXTVS Pater imponet tibi culmina tandem,
Et dabit in terris aemula tecta polo.

III.

EN tua Petre domus contingit Sidera: Caelum
Et pariter terras incoluiſſe potes.

IIII.

Roma loquitur.

IAM Pacis, veteres inter deſpecta ruinas,
Et Capitolini ſit domus alta Iouis.

Amphi-

Amphitheatralis ruat alto a culmine moles,
Agrippae iaceant diruta templa ſolo:
Cuncta licet pereant ſumptu conſtructa ſuperbo:
Vnum pro cunctis nunc mihi ſurgit opus.
Hoc veterum vinco moles, & ad aethera tollor,
Quo mea, quo SIXTI, *fama perennis erit.*

V. I V

A*ETHERIAS domitura arces Babylonia turris*
Extulerat tumidum ſidera ad alta caput.
Cum ſubito faſtus cecidit, faſtigia moli
Dum ſummae prohibet, qui premit alta, Deus.
At dum lenta ſui dolet incrementa decoris
Petri aedes, culmen te duce SIXTE *capit.*
Quippe fauent operi caeleſtia numina: quidni?
Haec mouet arma Erebo: mouerat illa polo.

. V I I. V

C*ONDERE regificum ſolido de marmore templum,*
Et ſuper impoſito tollere ad aſtra tholo,

Immor-

Immortale tuum decus eſt, pluſquam ardua ſaxa
Eruere, inque altis ſiſtere SIXTE *iugis.*
En Vaticanus ſtupet alta cacumina tolli,
Et laeto Tiberis murmure laudat opus.
Roma vides, dubitasq. : poteſt inducere templo
Culmina, qui faciles per iuga duxit aquas.

V I I.

*S*IXTE *Parens, hominum cuſtos, atque arbiter orbis*
Quam merito Romae diceris eſſe Pater?
Vrbem perddierant aetas, incendia, ferrum,
Et Romae tumidum nil niſi nomen erat.
Templa, viae, & priſci ruerant miracula ſaecli,
Lymphaq. diſiectis artubus exciderat:
Templa, vias, rerum miracula reddis, & vndas;
Nunc Roma eſt, Romae nuper imago fuit.

V I I I.

*Q*VOD *Romana tholis pulſant templa ardua Caelum,*
Romaq. Caeſareis molibus aucta tumet:

Quod via tam facilem praebet ſe plurima in vrbe,
Lymphaq. longinquo fornice ducta fluit:
Reddere vis Romae veterum miracula Patrum
Sixte, nec antiquum funditus ire decus.
Fallor: vis aliud: Petri nam culmina condens,
Saecla iubes aeuo cedere priſca tuo.

IX.

ad Hoſpitem.

Qvid vaſtam Petri molem, Caeloq. propinquam
Hoſpes, & inſolitae ſuſpicis artis opus?
Pontificum decus hoc aeternum, haec gloria Romae eſt,
Gloria non vlla deperitura die.
Sic iubet attolli Sixtvs, decus addat vt Vrbi,
Hoc quoque, quod ſummi non potuere Patrum.
Hoc decore innumeros viuet contenta per annos
Roma, nihil maius quod meditetur habet.

X.

Qvod Pater immenſam ſuſpendis in aethere molem
Vaſtaq. ſidereo vertice templa locas,

 Immor-

Immortale moues opus, & te principe dignum:
Vnus, quod cuncti non potuere, facis.
Quid mirum ingentes tibi res vſque ire ſecundas?
Cuncta poteſt, dexter cui Deus ipſe fauet.

X I.

H*Aec quae ſidereas teſtudo aſſurgit in arces,*
Quantum non oculis tendere Roma potes,
Deſpicit aduerſo luctantes turbine Cauros,
Miſſa nec e grauida fulmina nube pauet.
Quin etiam foedosq. imbres atque agmina aquarum,
Et vincet ſtabili tempora longa ſitu.
Sacra Petro eſt aedes, ſaxoq. impoſta vetuſto
Conditur, aeternum quod iubet eſſe Deus.

X I I.

C*Ernis multiplici ſinuata cacumina gyro*
Creſcere, dum lapidi iungitur arte lapis?
Sic ſurgunt auguſta ſacri faſtigia templi,
Nubila dum ſummo vertice findat apex.

Incly-

Inclyta ſic magni tollit ſe gloria Sixti :
Ad Caeli donec ſidera ſerus eat.

X I I I.

A*rdua cum ſe ſe teſtudo ad ſidera tolli*
Conſpiceret, tales eſt dare viſa ſonos.
Sixte *Pater totum volitat vaga fama per orbem,*
Et tua per populos grandia facta canit.
Iam pia me circum ſtabit Romana propago,
Me ſimul inuiſet Theſſalus, Indus, Arabs:
Quaeret & aſpectu aëriae conterritus arcis
Noſcere, quo tantum praeſide ſurgat opus.
Mox vbi cognorit Sixto *duce & auſpice* Sixto,
Ardua me celſum tollere ad aſtra caput:
Tum ſic dicet. Opus fuerat non dignius vllum,
Nec qui opus hoc faceret, dignior vllus erat.

ELEGIA.

MAGNA parat SIXTVS, faueant pia numina votis,
Pieridum cultor quiſquis es, ore cane.
Ore cane, inq. nouos ardens accingere verſus,
Et tange argutae fila canora chelys.
Non patitur vates SIXTVS torpere veterno,
Ingenium factis excitat ille ſuis.
Nec ſat Niliacis decoratam molibus vrbem,
Nec ſatis eſt ductas cernere in Vrbe vias.
Longinquo irriguos deducit fonte liquores,
Qua iuga mons late celſa Quirinus habet.
Quin tua SIXTE mari iam magna potentia nota eſt,
Et tibi Neptuni regna profunda fauent.
Teſtes Nereides, teſtis gens ſquammea ponti,
Omine quam fauſto SIXTIA puppis eat.
Sed maius tibi laudis opus, Pater optime, reſtat,
Et ſupereſt maior fama paranda tibi.

Quo

Quo mage creſcit amor Virtutis, & alma cupido,
Hoc mage, quo Virtus progrediatur, habet.
Non eſt vana fides SIXTVM *poſſe omnia terris,*
Cui Pater omnipotens cuncta regenda dedit:
Tempus erit, nec ſpes animum fouet irrita noſtrum,
Nec mea mens falſis luditur augurijs.
Tempus erit, cum clarus apex, duce & auſpice SIXTO,
Fulgebit templi vertice PETRE *tui.*
Immanem hic aedis patefactae claudet hiatum,
Quae caput e Latio tollit ad aſtra foro:
Et quae murorum vaſtis anfractibus, ingens
Immenſi ſpatium claudit vtrinque loci.
Nulla adeo gens eſt noſtro procul orbe remota,
Limina quae PETRI *non adeunda putet:*
Tunc aderunt & quos oriens Aurora colorat,
Lucida dum pulſa ſidera nocte fugat.
Et quibus Occiduae propior nitet Heſperus orae
Vndiſono dum ſol tingitur Oceano.
Aduenient quos Iſter alit regnator aquarum,
Cui cita nunc currit, nunc ſtupet vnda gelu.

Qui Rhodanum Cydnumue bibunt, patria arua relinquēt,
Et mittet fuſcos Indica terra viros.
Depoſita ſpectator erit feritate Britannus,
Vnica tunc orbem coget in vrbe dies.
Ipſa ſuum mirata decus pulcherrima Roma
Laetificos plauſus ingeminabit ouans.
Vt Solymae Salomon fanum qui conderet aureum,
Millibus e multis inueniendus erat:
Sic Romae SIXTVS*, cuius prudentia tandem eſt*
Pontificum coeptis impoſitura decus.
At tu cui ſolido ſurgit de marmore templum,
Et varium gemma verſicolore nitet:
Supplicibus, qui te votis precibusq. fatigant,
Affer opem, & coeptis Petre vocatus ades.
Cernis vt arma mouet metuendus Marte Philippus
In populos, Caelo qui fera bella cient.
Caerula conſertis Tethys mucronibus horret,
Aequoraq. ingenti claſſe grauata gemunt.
Hiſpanae examen pubis moderare timendum
Partibus Eois, Oceanoq. mari.

Solue